



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio II. Vtrùm poſſit homo de potentia Dei absoluta ſibi mereri de condigno primam gratiam actualem ſaltem per actus ab illâ independentes?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

prævis electa fuit Virgo Sanctissima MARIA præ aliis sceminis. Hac interim, infra enim iterum huic argumento respondebimus.

20. Argues 7. Inter decreta Dei, quæ respiciunt meritum, & præmium, datur ordo intentionis prior naturæ, & distinctus ab ordine executionis; sed merita prout sunt decreta, & præmia infallibiliter futura in ordine intentionis possunt Deum movere ad decreta exequentia præmium, & principium meritorum; ergo principium meritorum quoad absolutam ipsius existentiam potest in executione esse eorumdem præmium. Respondeo primò negando majorem cum *P. Vasq. 1. part. d. 89. cap. 7. P. Horice. tr. 3. cap. 11. num. 125. P. Ruiz. 59. scilicet. 1. num. 4.* & aliis negantibus in Deo hujusmodi ordinem intentionis priorem, & distinctum ab ordine executionis; sicque argumentum nihil probat. Quia tamen alibi *tom. 1. tract. 2. de Prædest. diximus* possibilem esse, licet non necessariam in Deo eorum ordinum distinctionem, illà admittà.

21. Respondeo secundò negando minorem, quia etiam admittà illorum ordinum distinctionem, ipsa merita in ordine intentionis non possunt mereri se ipsa tanquam præmium in ordine executionis, defectu distinctionis requisitæ inter meritum, & præmium; ergo neque sic poterunt mereri suum principium: tum ob eandem rationem: tum quia gratia actualis, quæ est principium meriti, constituit essentialiter meritum, quæ meritum, & est ab eo distincta: tum etiam, quia dato, quod illud ita non constitueret, est donum prius decretum, & connexum essentialiter cum merito; non autem potest esse præmium meriti donum illud, quod seorsim à merito debitum, & connexum cum ipso est, ut supra diximus. Accedit, quod eo pacto posset ex natura rei principium meriti cadere sub meritum; siquidem de facto existit ordo intentionis prior, & distinctus ab ordine executionis, quod tamen Adversarij non admittent.

SECTIO II.

Utrum possit homo de potentia Dei absoluta sibi mereri de condigno primam gratiam actualem saltem per actus ab illà independentes?

22. **R**ESOLUTIO affirmativa tenenda est, & à fortiori debent teneri *P. Soar. P. Agid. & P. Granad. suprad. num. 14.* & ex illa facilius intelligitur, & solvuntur infra dicenda, & adducenda duabus Sectionibus sequentibus. Probat, quia Deus antequam aliquid statuat pro hodierna die, potest decernere conferre Petro v g. cras gratiam habitalem, & auxilium efficax ad eliciendum actum supernaturalem, prævidereque talem actum cras absolutè existentem, merentemque de condigno in actu primo augmentum gratiæ; quo posito, potest etiam Deus antecederet ad illum actum cum Petro pacifici dare illi hodie primum auxilium efficax loco illius augmenti gratiæ, quod ei daturus erat ob talem actum meritorium de condigno talis augmenti; sed in eo casu primum auxilium hodie collatum est præmium condignum actus cras futuri, non quidem dependentis ab ipso auxilio hodie dato,

Tom. 2.

sed ab alio cras conferendo, tempore quidem posteriori, absolutè tamen priori in prævisione, & intentione divina efficaci; ergo potest prima gratia hodie collata esse præmium actus condignè meritorij, non ab ipsa, sed ab alio auxilio dependentis.

Confirmatur, quia in primis in ordine decretorum divinatorum non implicat dari unum prius statuens, quod cras futurum est, quàm quod hodie existet, quando id, quod cras futurum est, non dependet per se, & quoad suum primum esse ab entitate rei hodie existit, ut non dependet in facta suppositione: Deinde meritum prævisum absolutè futurum crastina die, habet sufficientem existentiam, ut alliciat Deum ad conferendum hodie præmium; siquidem meritum non illud causat physice producendo, sed Deum moraliter, & intentionaliter alliciendo, ad quod satis est existentia illa absolutè futura: Præterea actus ille futurus tam capax est causare præmium obsequens, quàm antecedens, & sive unum, sive aliud causet, semper est in prævisione divina absolutè prius, quàm ipsum præmium sive antecederet, sive subsequenter conferendum: Tandem auxilium, etiam primum, hodie conferendum, absolutè minoris astimationis est, quàm augmentum gratiæ cras conferendum; ergo actus ille, qui crastina die eliciendus promeriturus erat de condigno hoc augmentum gratiæ tunc conferendum, poterit à fortiori promereri primum illud auxilium nunc hodie conferendum loco illius augmenti gratiæ, quod erat die crastina conferendum.

Objicies 1. De ratione primæ gratiæ est, quod datur gratis, & non ex merito propter opera juxta illud *Rom. 11. 6. ibi: Si autem gratia, jam non ex operibus; abique gratia jam non est gratia;* ergo implicat, etiam de potentia Dei absoluta, ut quis possit illam promereri de condigno. Resp. Apostolum loqui de prima gratia, quæ sit talis formaliter, nempe quæ sit principium totius meriti, non autem de prima gratia, quæ talis sit solum materialiter, quatenus est prima tempore, hæc enim supponit aliam primam naturam priorem, & formaliter primam. Unde prima illa gratia hodie collata propter actum meritorium cras eliciendum, solum in radice est gratia, quatenus scilicet auxilium ad eam promerendam, quod est formaliter prima gratia, de qua loquitur Apostolus, fuit omninò gratuitum; formaliter verò talis gratia est debita ex justitia ut præmium.

Objicies 2. Deus non potest hodie poenam exigere pro peccato cras exituro; ergo neque præmium conferre pro merito cras futuro. Respondeo negando consequentiam; omnes enim concedunt, Deum posse præmium anticipatè conferre ob meritum absolutè futurum, ut patet in meritis Christi Domini, quæ tantum ut absolutè futura, & prævisa promeruerunt gratiam omnibus justis ipsius Christum antecederentibus. Utrum verò Deus possit etiam anticipatè punire? Est questio pro utraque parte excitata. Negandum tamen videtur, siquidem dedecet bonitatem, & benignitatem divinam anticipare poenam, realiter illam infligendo ante peccatum commissum realiter: non ita verò dedecet, imò maxime illas commendat, præmium anticipatè tribuere. Et hujus ratio est, quia Deus in puniendo agit personam creditoris; in præmiando autem debitoris; debitor verò potest, si velit, anticipatè debitum solvere, solvitque ex justitia: at verò creditor non potest anticipatè exigere debitum, imò si exigat, operabitur contra justiciam.

H h 2

Objicies

26. Objicies 3. Si actus meritorius cras futurus posset promereri de condigno primū auxilium efficax hodie conferendum, sequeretur, posse etiam sic promereri de condigno primam justificationem; consequenterq; remissionem peccati mortalis; sed hoc nō est admittendum, ut ex infra dicendis constabit; ergo neque illud, ex quo sequitur. Respondeo negando sequelam; diversa ratio est, quia prima justificatio, prout involuit remissionem peccati mortalis, est longè majoris æstimationis, quam augmentum gratiæ, quod actus ille cras promeretur de condigno, & cujus loco Deus tribueret primum illud auxilium minoris quidem æstimationis, quam illud augmentum gratiæ, ut diximus. Unde cum ex illo auxilio efficaci hodie collato non conferatur justificatio, neque remissio peccati, nisi ut præmium de congruo, inde est, quod homo, dum meretur de condigno tale auxilium efficax hodie dandum, solum de congruo mereatur primam justificationem, & remissionem peccati mortalis, quod non implicat, ut ex infra dicendis constabit.

27. Instabis: Homo cum illo auxilio efficaci hodie collato ut præmio actūs meritorii cras elicendi, posset infallibiliter elicere actum contritionis; sed huic annexa est justificatio, & remissio peccati mortalis; ergo promerendo de condigno illud auxilium, etiam de condigno promeretur justificationem, & remissionem peccati cum ipsa contritione infallibiliter connexa. Resp. negando consequentiam: Primò, quia ea infallibilitas non est annexa entitati auxilii, sed Christi meritis, quæ per accidens annexantur tali auxilio, & actui contritionis per illud elicito. Secundò, quia, non obstante ea infallibilitate contritionis, adhuc ipsa contritio non est æqualis justificationi, & remissioni peccati mortalis, sed hæc provenit ex liberalitate, & Miracordia Divinâ. Unde licet homo mereatur de condigno illud auxilium, ex quo infallibiliter sequeretur contritio, non idè sequitur, quod etiam mereretur primam justificationem, & remissionem peccati mortalis, ut intendebat argumentum.

28. Advertes, quando supra diximus num. 26. justificationem prout involuit remissionem peccati mortalis esse longè majoris æstimationis, &c. non esse idem dicendum, si remissionem peccati non involvat; nam si justificatio non inveniat peccatum mortale, quod remittat, ut non invenit in Virgine Sanctissima, in Angelis, & in primis Parentibus in prima sua creatione, tunc non majoris æstimationis erit talis justificatio, quam actus meritorius illius, sicut neque quam augmentum justificationis ipsius, sicque posset ea justificatione per talem actum comparari.

29. Objicies 4. Supposito eo casu, de quo in probatione conclusionis, quando homo pervenerit ad diem crastinum, & ad instans, pro quo Deus illi decrevit primam gratiam habitualementem, & auxilium efficax ad actum supernaturalem elicendum, aut in tali instanti habebit solum eam gratiam habitualementem illi determinatam pro crastina die; aut etiam illam, quam in sua justificatione tempore antecedenti, & continuato usque ad illud instans acquisivit: Non primum; nam supposito, quod toto illo tempore non peccavit mortaliter, non est, cur amitteret gratiam illam hodiernam: Non secundum; siquidem pro illo instanti crastino fuerat homo à Deo prævisus cum sola prima gratia justificante crastino die conferenda; ergo talis casus est fictitius.

30. Respondeo negando minorem quoad utramque partem, homo enim in illo instanti crastino ha-

beret utramque gratiam, ita tamen, ut gratiam hodiernam haberet dependentem à crastina, & ab actu per illam dignificato, & elicito ex auxilio sibi primò decreto. Unde à Deo non fuit prævisus cum solâ illâ gratiâ primò decretâ, nisi antecederet ad decretum de auxilio primò ei in tempore collato, ex vi cujus elicuit, ut supponimus, actum promerentem aliam gratiam, quæ in tempore est prior, naturâ verò posterior. Hoc ut clariùs intelligas:

Advertes, signa, quibus totus decretorum, & prævisionum ordo in Deo absolvitur, posse sic ordinari: Primò decrevit Deus ab æterno, posse sic ordinari in Deo fuerunt ab æterno, cum sit immutabilis, dare illi homini in instanti A. crastino gratiam habitualementem: Secundò, auxilium efficax ad elicendum actum supernaturalem: Tertio, prævidit ipsum hominem elicentem talem actum: Quarto in præmium condignum talis actus, loco augmenti gratiæ ex pacto illi decrevit primum auxilium pro die hodierno conferendum: Quintò, prævidit hominem ex hoc auxilio benè operantem, & merentem de congruo justificationem: Sextò, decrevit ei justificationem: Septimò, prævidit ipsum hominem jam justificatum elicentem cum auxiliis sibi collatis alios actus supernaturales: Octavò, propter hujusmodi actus illi decrevit augmentum gratiæ: Tandem prævidit illum pervenientem ad instans A. crastinum, pro quo illi primam gratiam decreverat, cum hac primâ gratiâ sibi omnimò liberaliter collatâ, cum auxilio immediatè post illam primò decreto, & actu ex ipso auxilio elicito, & cum gratiâ, quam toto tempore antecedente, dependenter tamen ab hoc actu, usque ad illud instans promeruerat. Quæ omnia fuerunt ab æterno simul prævisa simultate reali, servatis tamen prioritatibus fundamentalibus.

SECTIO III.

Utrum prima justificatio per gratiam habitualementem cadere possit sub meritum de condigno?



ADVERTES primò, primam gratiam habitualementem dici illam, quæ primò infunditur personæ tunc eam non habenti, licet antea illam habuerit, quam tamen per peccatum amisit. Secundò, si persona fuerit antecederet sancta per diversam sanctitatem, nempe Virgo Sanctissima per Maternitatem Dei, (si hæc est forma sanctificans formaliter, prout supra diximus,) tunc nullum esse inconveniens in eo, quod possit per bona opera subsequenter mereri de condigno primam gratiam habitualementem; sicut de facto homo jam dignificatus per gratiam habitualementem per opera illam subsequenter meretur de condigno augmentum gratiæ.

Tertio, quæstionem non habere locum in operibus tempore antecedentibus ipsam justificationem; certum enim est per hujusmodi opera non posse primam justificationem mereri de condigno; siquidem talia opera fiunt in statu peccati; opera autem facta in statu peccati non sunt meritoria de condigno ratione indignitatis personæ, ut supra diximus, dum asseruimus, opera, ut sint condignè meritoria, debere procedere ab homine justo, & dignificato per gratiam.

Quarto, difficultatem solum esse de actibus elicitis in ipso justificationis instanti, & ipsam justificationem